Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1721

Quelle:
Copyright:

quicquam donare non poterant per modum teſtamenti uel eciam inter uiuos. Hanc porro conſuetudinem abolens prædicto *Mandato* egregius Praeſul liberum facit *unicuique in vita vel in morte de bonis ſuis cum racione diſponere, prout placet, Et ſi quempiam ab inteſtato uel herede non inſtituto mori contigerit, res ſue, quibuscunque nominibus cenſeantur, ad conſanguineos et cognatos proximiores liberè deuoluantur.* &c. Quae cum legerentur coram quodam *Magiſtro*, improbavit is dicens: *quod ruſtici ſint Ribaldi et ſerui ſolum nudum uſum habentes, quodque nullus eis deberet ſuccedere;* cumque *Cunſſo* contra adduxiſſet Textum *Num.* XXVII. vbi ſtatuitur de ſucceſſione conſanguineorum, repoſuit *Magiſter* ille: *quod ille textus non plus obligaret, quam de non comedendo ſuffocato et alia cerimonialia.* Itaque contra eum calamum ſtrinxit *Cunſſo* memorabili hoc Libello, cujus dabo Capita. I. *Quod Ruſtici et cenſuales in pragenſi prouincia ſunt liberi et non ſerui.* II. *Quod ipſorum liberi et conſanguinei vsque ad ſeptimam lineam maſculi et femine, iure ſuccedunt in eorum iuribus bonis mobilibus et immobilibus.* III. *Quod ex quo ſuccedunt ipſis maſculi et femine liberi et conſanguinei &c. donare poſſunt in uita uel in morte.* IV. *Quod lex illa moſayca non eſt ſublata, ſed pocius recepta.* V. *Quod conſuetudo in contrarium eſt mala et corruptela.* VI. *Quod dicta conſuetudo preſcribi non poteſt.* Concludit: *Iccirco pater reuerendiſſime illam conſuetudinem paganicam dampnabilem et erroneam euellatis, cum ſitis poſitus, ut euellatis, edificetis et plantetis* &c. Archiepiſcopum hunc fuiſſe *Johannem de Genſtein*, qui a. 1396. munere ſe abdicavit, diſcimus e *Balbini Boh. doct.* P. II. p. 176. ubi laudatur *Cunſſo* ſive *Conradus* noſter *de Trzebowel*, proditurque ex alio Libelli noſtri Exemplo nomen *Magiſtri* ſupra dicti. Fuit is nempe *Adalbertus Rankonis de Ericino* ſive *Iglavia* tunc Scholaſticus Eccleſiae *Prag.* de quo jam alibi dicere me memini. Unde *Balbinus* cognomen *de Trzebowel* hauſerit, neſcio. In *Arneſti* Archiep. literis fundationis Cathedrae Theologicae ad an. 1349. a Cl. *Raph. Ungar Diſſertt. Societatis privatae* T. VI. p. 213. editis inter poſtremos Canonicos legitur *Cunſzico de Turnow*, qui fortaſſe Noſter ſit.

XVII. *fol.* 134. M. *Jacobi de Miſa* Tractatus contra *Andr. de Broda* pro Communione ſub utraque Specie. Hic quidem ἀνεπιγραφος, ſed relatus *Cod.* DCLXII. quem, ſi lubet, conſule.

Ad compingendum praeſentem adhibita eſt Membrana, in qua a. 1406. *In Monaſterio ſancte Anne ſito in Wyezd* (Augezd?) *Pragen. Dioc. Religioſe domicelle Elyzabeth prioriſſa, Byetka ſacriſtana, Agnes ſenior, Ofka et Ela et cetere virgines* Procuratorem ſuum conſtituunt *Fratrem Wenceslaum profeſſum Monaſt.*